


LVNÆ DIE 17 M. FEBRVARII A. 2003

A.d. XIII Kal. Martias a. MMIII

II 2

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AUSPICIIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE
SEXIES IN ANNO EDITA



EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / Telecop. 02.735.51.32. / guy.licoppe@pophost.eunet.be
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

DE LATINO HYMNO EVROPÆO

Raimundus Fleischmann, Bavarus, qui operam dat in partibus Unionis Europæorum Fœderalistarum, suasit ut Hymnus Europæus Latine conscriberetur. Ante nonnullos menses a nobis petivit ut aliquem inveniremus, qui carmen idoneum pangere valeret. Modi enim musici sunt Beethoveniani, sed verba a Friderico Schiller pacta non spectant ad Europam. Fatendum est nos neminem in circulo nostro invenisse, qui hanc rem suscipere vellet. ¶ Tuomo autem Pekkanen, Finnus, a Raimundo Fleischmann etiam rogatus, rem laute feliciterque perfecit atque ad nos misit hoc carmen cum subiuncto commentario :

Hymnus Europæus
quem composuit Tuomo Pekkanen

Europæi, gaudeamus,
fœdus firmum fecimus,
lætum carmen concinamus,
Unionem iunximus,
constitutis æquitatis,
libertatis iuribus,
in commune comprobatis
Europæis legibus.

Cum maioribus minores
nationes valeant,
propagantes pacis mores
vivant, crescant, floreant,
præferant humanitatem,
proferant iustitiam,
populorum paritatem,
candidam concordiam.

Gentes semper sociatæ,
sic et porro pergite,
Unionem confirmate,
in Europam credite !

« In hymno scribendo stropham Schillerianam, in qua versus octosyllabus et heptasyllabus alternantur, observavi. ¶ In versibus octosyllabis ultimum vocabulum semper habet accentum in pænultima syllaba (*gaudeamus, concinamus*, etc), in heptasyllabis autem in antepænultima (*fecimus, iunximus*, etc). Rimæ sunt semper duplices, id est binarum syllabarum : *gaudeamus ^ concinamus, fecimus, iunximus, æquitatis ^ comprobatis, iuribus ^ legibus*, et ita deinceps. Schema sive alternatio rimarum est *ababcdcd, efefghgh, ijij*, sicut apud Schillerum. ¶ Alliterationem sæpius adhibui : *fœdus firmum fecimus, carmen concinamus, in commu-*

ne comprobatis, maioribus minores, propagantes pacis, populorum paritatem, candidam concordiam, semper sociatæ, sic et porro pergite. ¶ Operam dedi, ut vocabula in singulis versibus aut iuxta posita, non tantum rimis et alliterationibus consonent, sed etiam litteris mediis aliquatenus habeant assonantiam : *Europæi, gaudeamus, fœdus firmum fecimus, lætum - carmen concinamus - Unionem iunximus ^ constitutis æquitatis libertati - iuribus in commune ^ Europæis legibus*, et sic deinceps. ¶ Argumentum carminis Schilleriani non sum imitatus, nisi quod aliquot locutiones ad gaudium pertinentes (*gaudeamus, lætum carmen concinamus*) adhibui. Melodia cum sit hilaris, textus Latinus oportet sit potius iucundus quam funeralis. ¶ Latinitate admodum facili consulto usus sum, ut quam plurimi hymnum intellegant aut facile discant. Etiam vocabula pronuntiatu difficiliora vitavi, longas litteras vocales prætuli, quæ ad canendum sunt aptiores. ¶ Nescio an hymnus sit satis longus. Crediderim tantum viginti lineas plerumque cantari. Si plures versus sunt necessarii, facile unam stropham aut duas addere possum. At primum scire velim, quid illi, ad quos res pertinet, de his strophis censeant et quo modo eas iudicent. Utcumque sit, omnes artis rhythmicæ regulas observavi. Omnia iura versionis sunt mea, neminem adiutorem habui. »

Exeunte mense Decembri anni MMII, Raimundus Fleischmann nos monuit hunc hymni textum traditum esse Michæli Rocard, Præsidi Europæi parlamenti commissionis pro Cultura, Iuventute, Educatione, Mediis et Rebus Athleticis, a Iosepho Leinen, præside Unionis Europæorum Fœderalistarum et deputato Europæo. Nondum scimus utrum hoc carmen Latinum a regimine Europæo acceptum sit necne. ¶ Unio Europæorum Fœderalistarum multum curat res quæ spectant ad Europæ fundamentum culturale. Eius sodales inter alia cogitant de communi historia Europæa conscribenda atque in omnibus Unionis nationibus similiter docenda. Cum dedecet talem historiam ab uno homine conscribi vel etiam a grege ad unam nationem pertinenti, optant ut creetur « Academia Europææ Historiæ », quæ constet ad minimum ex uno legato singularum nationum. Est, nostro sensu, bonum consilium ; communis enim historia necessaria est Europæ cœniendæ ; imprimis tamen definire oportet quale eventorum genus constituere possit huius historiæ spinam dorsalem. ❧

Gaius LICOPPE

RES ARGENTARIÆ QVALES MEDIO ÆVO FVERINT

– scripsit Gaius Licoppe –

Pecunia, hoc subtile potentiae instrumentum, cum optima tum pessima res esse potest, sed hoc non solum de pecunia dicitur; nonne idem de lingua iam dixit Æsopus? Quot scelera suscitatur pecuniae cupiditas, sed contra quot detrimenta affert pecuniae egestas! Re vera tantum viget societas humana quantum florent eius res argentariae.

In regionibus occidentalibus, quas hic solas considerabimus, iam tertio saeculo, cum barbari primas magnas incursiones faciunt, recessio rei argentariae apparet; quinto autem saeculo, cum barbari Imperium Romanum in Occidente extinguunt, argentariae omnino disparent. Urbes enim parva oppida fiunt vel delentur. Gentes coguntur modo primitivo vitam sustinere. Pecunia vix adhibetur atque iterum fiunt permutationes, id quod Medio Ævo dicitur « trocare »¹. Sexto saeculo Papae argentarius solus superest in toto Occidente; tantum Ravennae res argentariae melius se habent, sed tunc Exarchatus Ravennas ad Imperium Romanum Orientale pertinet.

Ineunte Medio Ævo, non solum condiciones economicae pessimae factae sunt, sed Ecclesia Catholica Romana, quae hominum vitam magis magisque regit, vetat pecuniam fenori dari. Haec interdictio a regibus barbaris in novis legibus inscribitur et raro violatur usque decimum saeculum. Inde fit ut creditum ad negotia gerenda necessarium difficile inveniatur. Hoc exempli gratia legitur apud Gregorium Turonensem (538-594); qui narrat Desiderium, episcopum Virodunensem (v. *Verdun*), a rege Theodeberto I petivisse ut pecuniam e thesauro fenori daret negotiatoribus, qui nullam invenire potuerant.

Nummorum autem permutatio fieri non desinit,



Hic Mercurius apparet ut bancarius ad cambii mensam sedens.

quamquam multum minutus est nummorum commectus. Nummi enim solum adhibentur in magnis negotiis et in rebus pretiosis emendis. Humiles etiam campsores adsunt in locis sanctis, quos e longinquis terris adeunt pii peregrinatores. Reges ius nummorum cudendorum sibi reservant et nonnullis artificibus licentiam dant rei curandae.

Alius commodationis modus tunc multum est in usu: agitur de pigneraticia commodatione. Mutuus pignus dat molinam, vitem, agrum, salis fodinam, ecclesiam vel aliam rem. Sed nullum fenus ab eo exigitur; commodator autem rei usum habet eiusque fructum servat, id quod est fenus dissimulatum. Nisi pecunia commodata intra duodecim menses commodatori redditur, is pignoris possessor fit. Pigneraticia commodatio lege non vetitur atque ab Ecclesia toleratur; praeterea optime convenit primis Medii Ævi saeculis, quibus reditus tantum constant e naturae productis.

Dum in Occidente mercatura iacet, octavo saeculo Sueti per Russiam commercium cum Persis exercent; thesauri, in Scandinavia nostris temporibus fortuito inventi, constant e magna copia nummorum Arabicorum « dirham ». Paulo post, Frisones, qui septentrionalia Europae litora frequentant, Suetorum mercaturam ad Europam occidentalem extendunt, ubi usurae accusantur.

Ad litus maris Mediterranei mercatura serius renascitur, scilicet cum civitates Genuensium et Venetorum commercium exercere incipiunt cum Imperio Byzantino, Alexandria et gentibus Mahumetanis. In Orientem et Africam septentrionalem apportant textilia ex Europa occidentali, pelles ex Europa septentrionali atque servos ex Europa orientali. Inde fit ut magis magisque augeatur in Europa occidentali copia nummorum e metallis pretiosis. Praeterea argenti fodinae inveniuntur in Tuscia et postea in Bohemia, Scandinavia et Germania. Officinae monetariae multiplicantur, ubi cuduntur nummi argentei et deinde aurei.

A tertio decimo saeculo sexies quotannis habentur in Campania Gallica magnae nundinae, quo undique confluunt mercatores. Agricultura quoque tunc melius se habet et maiorem ciborum copiam producit, quorum redundantia emptoribus eget. Capitalismus mercatorius celeriter manat, ita ut necessitas creditorum magis magisque instet. Ecclesia concilii Lugdunensi (1274) et Vindobonensi (1311-1312) ultimum conatur fenerationem reprimere, etiam excommunicatione, sed frustra; deinde rem de facto tolerat.

Iudaei primi in Europa ab undecimo saeculo pro pigneraticis commodationibus fenus exigunt, et non parvum: quadragenas usque sexagenas quinas centesi-



In hac officina nummi cuduntur ; præter varia instrumenta adspicitur furnus in quo ignis duobus follibus concitatur ad aurum fundendum.

mas partes (40%-65%). Hoc fieri potest, quamquam religione sua vetantur ipsis Iudæis fenerari, quia non impediuntur quin ceteris gentibus fenerentur ; præterea regulis religionis Christianæ non tenentur.

A decimo sæculo vincula politica atque commercii incrementum inter Italiam et Germaniam urbibus Langobardorum multum prodest. Langobardi, sed etiam Cadurci (incolæ urbis v. *Cabors* vocatæ) minus noti, non solum idem faciunt ac Iudæi, sed tertio decimo sæculo eos loco depellunt, præsertim in Gallia, Anglia et Belgica ; principalis huius depulsionis causa videtur esse ingravescens populi invidia erga Iudæos (quæ abusive hodie vocatur « antisemitismus » ; Iudæi enim minima tantum pars Semitarum sunt).

Iudæi et Langobardi ab undecimo sæculo nummorum deposita custodire incipiunt. Duodecimo et tertio decimo sæculo, locupletes mercatores Europæ septentrionalis primarias operationes argentarias faciunt ; de sua pecunia et de depositis acceptis pecuniam commendant principibus urbibusque. Non illi tamen veram argentariam depositorum et transcriptionum restituunt, sed campsores imprimis in Italia, postea in Germania meridionali et in Belgica.

Nono et decimo sæculo, ætate feudalitatis, regna solvuntur quorum potestas permultis dominis defertur.

Singuli domini ius nummorum cudendorum sibi arrogant, unde fit ut denarius argenteus Caroli Magni milles imitatus valorem diversimode perdat. Ab eo tempore, cum gradatim augeatur nummorum copia, etiam crescit campsores numerus ; solum enim periti homines valent nummos spectare, pendere, cambiare. Nonnulli eorum in Italia operationes argentarias etiam facere incipiunt atque, post intercapedinem septem sæculorum, privatam argentariam depositorum transcriptionumque restituunt. Ius Romanum in Italia numquam evanuit ; quare in eo nituntur regulæ renovatæ argentariæ.

Genuæ duodecimo sæculo primum renascitur vera argentaria. Totum tabellionum archivum ab eo tempore ibi mirum in modum servatum est, unde fieri potuit ut argentariæ historiam bene nosceremus. Campsores bonam famam habent ; peritissimi sunt rei technicæ, administrativæ et ratiocinatoriæ. Oportet tamen patrimonium habeant, pignus nummarium deponant atque magnum capitale possideant. Arcas securas habent, ubi deposita condunt. Loco depositorum solutiones accipiunt. Pro creditoribus transcriptiones faciunt. Partem depositorum ad fenerationem destinant atque societates commerciales participant, unde reditus expectant.

Genuæ tunc temporis primum apparet vocabulum vernaculum *banchieri*, secundum quod sine mora finguntur vocabula Latina *bancarius* pro argentario et *bancus* pro argentaria. Tertio decimo sæculo bancarii operantur etiam Venetiis et paulo post Florentiæ. Quarto decimo sæculo in Germania meridionali et in Belgica florent bancarii. Brugis (v. *Brugge*), exempli gratia, circa annum 1360 operatur magnus bancarius Colært van Marcke, cuius rationum libri adhuc servati sunt. Ex eadem urbe videtur oriri nomen *bursæ*. Bursa est locus, in quem mercatores convenire solent ad negotia inter se tractanda ; huiusmodi loca iam exstant in Italia duodecimo sæculo, ubi vocantur *loggia*. Brugis autem mercatores Itali convenire solent in domum « Ter Buerse » vocatam, quam negotiator Iacobus van der Buerse anno 1453 exstruendam curavit ; in eius fronte appositum est possessoris insigne, quod constat e tribus marsupiis. Marsupium vernaculo Brugensium sermone tunc dicitur *buerse*, unde *bursa*.

Bancarii officio suo non funguntur sine periculo. A tertio decimo sæculo, propter crescentem incolarum numerum, frequentem ciborum penuriam atque pestem, quæ ab anno 1347 sæpius sævit, oritur agitatio socialis. Pigneraticii creditores populo odio sunt et sæpe impugnantur, quin etiam necantur. Regentes hoc non solum tolerant, sed etiam interdum suscitant ; ita enim pignora sua recuperant sine pecunia eroganda.

Numquam tamen bancarii a regimine suppressi sunt ; nam omnino necessarii sunt et humilioribus et potentioribus.

Bancarii, ad rem suam tuendam, pecuniam humilioribus tantum in proximum terminum commodant ; difficilius autem eis est regentibus resistere ; quare consociationes instituunt, quibus inter se mutuum auxilium ferre possunt. Hæ consociationes paulatim fiunt latum rete, quod regnorum fines ignorat ; capitalismus internationalis non est res recens.

Carolus Temerarius, Dux Burgundiæ (1467-1477), bonum exemplum est regentium mentis. Ad sua sumptuosa bella gerenda eget pecunia ; quare, anno 1473, bancariorum privilegia in Belgica suppressit atque claudi iubet quadraginta eorum officinas. Eodem tamen anno eis licentiam iterum dat, pro qua vero multo maiorem pecuniam solvere debent ; præterea sexaginta milia librarum Duci commodare coguntur atque alteram magnam summam tribus annis post.

Quinto decimo sæculo exeunte, bancarii privati sunt in magno discrimine. Bellis, fami, epidemiis tunc additur penuria metallorum pretiosorum, quibus nummi cuduntur ; nam pecuniæ fluxus inter Europam Occidentalem et Orientem inversus est : Occidentales plus ab Orientalibus emunt, quam eis vendunt.

Eodem tempore in Italia oritur creditum in longinquum terminum. Urbes, ut Genua, multa pecunia egent, quæ eis fenori datur ; ad feneratores certificandos chartas emittunt, quæ vocantur « obligationes » ; in his enim urbes se devinciunt cautione vectigalium municipalium. Tot autem fiunt obligationum emissiones, ut mox vectigalia municipalia non sufficiant ; iam anno 1407 ærarium iterum adducitur in magnum discrimen. Gestio rei argentariæ tunc traditur instituto publico cui nomen est « Casa di San Giorgio ». Fenus præbetur septenarum centesimarum partium (7%), quod tam attractivum videtur ut privati et societates ibi pecuniam deponant. Ærarium tamen non melius se habet atque hic bancus publicus anno 1444 tollitur.

Ergo, Medio Ævo exeunte, vera argentaria restituta est, cuius nomen mutatum est in *bancum* ; imprimis restituuntur assignationes, quæ magno usui sunt artificibus et humilioribus negotiatoribus. Bancarii Itali nova genera operationum in usum inducunt, quibus pecunia debita in regionibus ultra maria sitis facilius solvitur sine nummis transportandis. In hunc scopum, Genuæ iam duodecimo sæculo fiunt contractus cambii apud tabellionem, qui tunc Latine vocantur « instrumenta ex causa cambii ». Huiusmodi contractus, sine tabellionis tutela gradatim facti, formam modernæ « epistulæ cambii » sumunt. Complures actores impli-



Hic monstratur pars interior cuiusdam Montis Pietatis. Crux infixa est in summo nummorum monte. Pauperes humillima pignora afferunt ut aliquid pecuniæ accipiant ad vitam sustinendam.

cantur in executione epistulæ cambii, id quod insequenti exemplo facilius monstratur.

Si quis Italus mercator in magnis nundinis, quæ in Campania Gallica stato tempore habentur, laneos drappos emere cupit Venetiis postea vendendos, pretium numerato statim solvere debet. Quare a bancario in ipsis nundinis pecuniam Francogallicam mutuatur ad solvendum. Si bancarius creditor agentem habet Venetiis, a mercatore accipere potest epistulam cambii, qua mercator suum bancarium Venetum iubet pecuniam debitam numerato dare constituto die agenti Veneto bancarii creditoris, id quod vocatur « recambium ». Cum pecunia solvitur nummis non Francogallicis sed Venetis, in epistula etiam scribitur qua ratione permutatio sit facienda.

Itaque epistula cambii tres operationes simul fiunt : cambium ex pecunia Francogallica in Venetam, creditum in terminum constitutum et pecuniæ translatio sine nummis. Hoc certe non fit gratuito ; fenus enim includitur in collybo. Fenus hoc modo dissimulatum non condemnatur a theologis episcopisque, quia ipso cambio inest periculum ; nam inter mutuum acceptum et recambium ratio permutationis inopinanter mutari potest. Propter hæc multa emolumenta, epistula cambii a mercatoribus magis magisque est adhibita.

Singulares bancarii sunt Templarii. Eorum ordo religiosus anno 1119 Hierosolymis conditus est, ubi sedem suam habuerunt iuxta Templum, unde nomen. Eorum officium erat pias peregrinationes in Terram Sanctam frequentiores tutioresque facere. Intra breve tempus, novem milia commendatarum² creaverunt in Europa, quibus pecunia peregrinatorum colligebatur. Hæc pecunia transferebatur in duas maiores sedes « Templa » vocatas, unam Londinii, alteram Parisiis (anno 1212 creata). Tantam nummorum copiam habuerunt Templarii, ut necessario incitarentur ad bancarii munere fungendum. Reges Francogalliæ in Templo gazam suam condebant. Templarii tamen pecuniam commodabant fenus occultum petendo ; nam in scripto crediti maiorem summam indicabant quam re vera erat commodata. Quare usuræ accusati, a rege anno 1307 et a Papa anno 1312 damnati sunt.

Quinto decimo sæculo pigneraticia commodatio plerisque civibus iam non proderat, cum eorum condicio oeconomicam multo melior facta esset. Pauperiores fere soli ea egere pergebant atque pignus sæpius perdebant, quare concivium animi commoti sunt, qui putaverunt instituta publica creanda esse, quibus commodationes gratuito fierent. Prima huius generis instituta orta sunt in Hispania anno 1431 et vocabantur « Arcas de


Limosnas ». Nonnullis decenniis post idem factum est in Italia, ubi hæc instituta vocabantur sive « Mons Christi », sive « Monti di Pieta ». In his denominationibus vocabulum « mons » mirandum est, sed tunc temporis subaudiebatur « pecuniæ » et mons pecuniæ appellabatur ædificium vel prædium, unde proveniebat redditus.

Ex hac brevi narratione patet firma fundamenta rei bancariæ iacta esse ad finem Medii Ævi ; postea, usque ad nostra tempora, ea non desiit amplificari atque subtilior fieri³. ❧

1. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, VIII, p. 190 : trocare, permutare.

2. R. Hoven, *Lexique de la prose latine de la Renaissance*, Lugduni Batavorum, Brill, 1994, p. 69.

3. Imagines in hac symbola et in tegimento ostentæ excerptæ sunt ex : H. Van Der Wee, R. Bogaert, G. Kurgan-Van Hentenryk, *La Banque en Occident*, Antverpiæ, Fonds Mercator, 1991.



Hæc tertio decimo sæculo fuit Templariorum sedes Parisina. Duodevicesimo sæculo tantum supererat turris, in qua rex Ludovicus XVI et regina Maria-Antonilla captivi ultimos dies vixerunt.

INEDITA HIERONYMI BONONII (1454-1517) EPIGRAMMATA FAMILIARIA

- quæ primum publicavit Theodericus Sacré -

Constat inter omnes viros doctos litterarumque vetustiorum peritos, Tarvisium, quam urbem inter Venetæ regionis ocellos iusto numeraveris iure, poetarum Latinorum fuisse feracius¹; unum autem Hieronymum Bononium, scriptorem Latinum ac Musarum sacerdotem, ceteros omnes poetica facultate facile adæquavisse, sæpe superavisse. Fuit illi enim viro et magna in scribendo facilitas, et uberrima vena, et admirabilis in versibus omnis generis ratio atque solertia. Etenim, cum poetæ qui renascentium litterarum temporibus in eius patria floruerunt unis versibus heroicis elegiacisve studerent distichis perpoliendis, Bononius non ea solum capiebat metra, sed etiam Phaleucia, Catulli poetæ (cuius ille miro flagrabat amore) exemplo insignia, sczantes, senarios ac lyrica adhibuit systemata. His omnibus gaudia cottidiana atque ærumnas canebat dum lusus, genethliaca, epicedia, ad occasiones mille fusa, iocos, amores, in amicos familiaresve affectus, scriptorum laudes, præcepta et sententias totam fere per vitam versu includere animi causa conatur. Nil enim tota fere vita ei contigit, quod versibus a se reddi non posse putaret, nulla fere in mentem venit ei cogitatio sive communis et popularis, sive propria et singularis, quam non ilico veste poetica indutam nobilitaret quodammodo, nullum fere evolvit librum, quem lectum epigrammate non ornaret - nam, ut exemplum afferam, Desiderii Erasmi liber, qui *Stultitiæ laus* inscribitur, cum anno 1511 in lucem primum esset editus, mox a Bononio studiose perlectus idemque epigrammatis duobus est ornatus. Itaque per amplius viginti vitæ annos ultimos poematia plus mille sescenta conscripsit, monostichis alias usus, alias versusum hecatontadibus (nam ut argumentorum varietate et metrorum diversitate præstant carmina, sic et alia longiora, breviora alia scripsit ita tamen ut superent breviora). Has autem ille scripturas semel atque iterum retractavit, polivit, nonumque pressit in annum; cumque plura a se scripta esse poematia animadvertisset quam quæ typographus nescio quis imprimenda susciperet, omissis valde multis selegit collegitque nonnulla quæ cum accuratius scripta esse crederet, typis digna iam esse moxve, si retractavisset, fore sperabat. Hinc *Electa* ea inscripsit selecta; quæ postquam e tanta congerie delegerat ipse et in libros complures metrorum habita ratione digesserat, limæ labori denuo subiciebat sui semper calumniator. Qua re accidit ut longe maior carminum pars ad paucos fortasse viros, quibus familiariter utebatur, mitteretur, prelo autem typographico aut raro aut numquam exprimeretur. Hinc pauca admodum sunt quæ publici facta iuris viris litterarum amantibus adhuc innotuerunt. Dum vita

superstes, typis commisit aliquas scriptorum laudes sive veterum sive recentiorum, quorum quidem opera a se recognita prelis Tarvisinis excudenda curavit (nam haud ignobiles habuit ea urbs sæculo XV extremo officinas typographicas). Ceteri vero otii litterati fructus inediti; quos quia cognati, affines, posterius post mortem poetæ (quæ rapuit anno 1517) religiose servarunt, ad hunc diem extant, etiamsi in bibliothecis privatis et publicis diu latuere pulvere paulatim obteci. Nam si sæculo XVII Bartholomæus Burchelatus medicus idemque poeta Tarvisinus, qui Agnetem Bononiam, poetæ proneptem, duxerat uxorem, nonnulla Bononii carmina publici fecit iuris², philologi qui ea in urbe rei litterariæ operam postea dederunt, virum plerumque neglexerunt. Excipiundos semper excipio; siquidem sæculo XVIII fuerunt qui ut patriæ gloriæ servirent, poetæ huius carmina e codicibus undique conquisiverunt, reperta exscripserunt editiones paraturi; quæ tamen cum nescio quibus de causis diu pependissent, ad effectum non pervenere. Inde autem ab anno 1970 cœpta sunt edi carmina quædam maiora; ac tandem aliquando in lucem publicam emissa *Candida* sive Bononii Amores (nam cum ille adulescens Romæ vel potius Tarvisii versaretur, puellam aliquam adamaverat, quam Candidam scripsit et de ea versus fecit omnium iudicio venustos atque elegantes); ac præter carmina³ philologæ quoque et antiquariæ scriptiones, quas ille diu meditatus, ineditas in scriniolis custodierat, a viris doctis cœptæ sunt divulgari⁴.

Bononius (anno 1454) loco haud obscuro natus Tarvisii postquam iuris studia absolvit, propter egregias ingenii dotes et stili Latini virtutes Laurentio cuidam Zaneo præsuli factus est ab epistulis; quem secutus Romam vidit; nec mora, amicitias ibi cum primariis litterarum renovandarum fautoribus, Pomponio L(a)eto, Perotto, aliis contraxit, humanistarum sodaliciis intererat, eleganter scribendo et res antiquas diligenter investigando famam aliquam colligere cœpit. Quid multa? Libenter reliquam vitæ partem peregisset in Urbe, nisi inde mortuis fratribus avulsus esset atque ad res curasque domesticas revocatus. In patriam ergo redux scribæ publici sive notarii munere fungebatur dum et forum et iudicia colit. Mox autem in ordinem canonicorum Tarvisinorum promotus, rebus satis florentibus Catharinam de' Zotti (quam Chorinnam in carminibus scripsit) duxit uxorem, quæ ei liberos genuit quattuor; duos immatura præripuit mors, duo superstites fuere patri. Qui cum domicilium Tarvisii et sedem collocavisset, rara fecit itinera (nam Mediolanenses quidem adiit ibique humanistis quibus-

dam innotuerat ; at urbe illa, qua non facile caruit, Roma dico, in perpetuum carere debuit), nisi propter bellicos tumultus in exilium expulsus salutem tueri conabatur : itaque quadriennium Venetiis vitam sustentare est coactus, cum anno circiter 1510 Cameracensis (quod appellatur) concilii copiæ remp. Venetam infestarent agerque Tarvisinus crebras hostium incursiones sustineret. Reliquam vero ætatem in patria ita debebat, ut viris doctis atque eruditis, philologis, poetis, editoribus, quibus Patavium Venetiæ aliæque quæ in proximo erant urbes gloriabantur, uteretur familiarissime. Nam ut alios taceam, amicitiam cum Manutiis, Bembris, Flaminiis fecit ; immo, ut hoc uno contentus rem absolvam, Bononium tanti æstimavit Iohannes Aurelius Augurellus, poeticus ille alchimix præco, ut perfectum *Chrysopæiæ* poema miserit hic ad illum, qui censuræ atque emendationi subiceret⁵. Ceterum Bononius, cum horas diesve aliquot negotiis surripuerat, Musam ipse colebat ; idem quoniam rerum antiquarum admodum erat studiosus, veterum quorundam opera a se recognita atque epigrammatis, adnotationibus, præfationibus ornata typis excudenda Tarvisinis curabat. Huc accedit quod a teneris unguiculis titulos Latinos ævi antiquissimi colligebat, quos docte et prudenter, erudite et luculenter illustrare solebat ; non ergo mirum si Theodorus ille Mommsen Hieronymi Bononii operam epigraphicam summis extulit laudibus⁶. Ipse vero Bononius D. Hieronymi vitam, quam et soluta oratione et versibus adumbravisset, in qua magnam insumpsisset operam, quo opere maius graviusve a se scriptum esse negaret, memoriam sui reddituram esse immortalem opinabatur. Secus dicunt iudices qui nunc sunt. Utut est, ne id quidem opus publici est factum iuris, quippe quod in pluteis bibliothecæ cuiusdam lateat abditum. Atque ea quidem est ei cum maiore operum Bononianorum parte communis condicio, quæ in bibliothecis Tarvisinis, Venetis, Patavinis, aliis haud paucis asserventur inedita⁷.

Visum est mihi aliquot poemata e nondum editis selecta ut huic ita et eis qui mox sequentur *Melissæ* fasciculis inserere. Spes enim me tenet nescio an dubia, gustu hoc dato fore qui *Promiscua* ea tandem aliquando suscipiant in lucem critice edenda. Peccent enim carmina ea interdum præcipiti quadam scribendi celeritate ; ab elegantibus Pontanianis et Panormitanis (quas ille mihi imitari voluisse videtur) spatium non ita modicum distent ; at eum mea sententia declarant auctorem, qui in præcipuorum poetarum ea tempestate apud Italos Septentrionales florentium cœtu ac numero iure et merito reponatur.

1. Ad uxorem⁸

Tendimus ad metam, coniux, redituraque numquam est
de semel amissis hora vel una brevis.
Horis saltem aliquot vivamus tot quibus anni,
tot quondam noctes, tot periere dies.
Imprimis animi affectus sedemus inanes,
vel ruat a summo culmine tota domus.
Sæviat hostis agro, miles bacchetur in urbe,
omnis eat belli sollicitudo procul.
Nil nisi quod sit opus nostros quæramus in usus
absit et insanæ crimen avaritiæ.
Cum sic vixerimus, poterit tum vita putari ;
vita fovens curas mortis habenda loco est.

2. Uxoris puerperium⁹

Iuno, laboranti fer opem, Lucina, Chorinnæ¹⁰
et placido illæsum numine profer onus.
Prodeat aptatus vitales natus in auras,
sospite quo læti simus uterque parens.
Surda piis turpe est non flecti numina votis,
effectu iustas turpe cavere preces.

3. Natalis filii Octavii Restituti Prid(ie) K(a)l(endas) Quintil(es)¹¹

Octavi mihi restitute fili,
Quintiles rapuere te Kalendæ,
anno te redeunte reddidere.
Ut luctus abiens graves dedisti,
confer gaudia duplicata patri
astro redditus auspiciatore !

4. Pater cur parens dictus esse videatur¹²

Unde parens genitor dictus foret addubitabam.
Nunc tandem didici, nato parere coactus –
prima brevis fiat sed syllaba longa necesse est.

5. De suo cane¹³

Commoditas o quanta cani est, nemus inter opacum
orbita dat potum cui pluvialis aquæ !
Me sitis, optatos dum quæro per avia fungos,
vexat. Quam mallet nunc meus esse canis !

6. Iulii filioli difficilis ægritudo¹⁴

Ergo iaces vita, Iuli, mihi carior ipsa ;
ergo brevi saxo nate tegende, iaces.

Vivere quid curem durus pater ? Eia age, sæva,
si tibi vis tanta est, me quoque, Parca, neca.

7. Liviæ item filiolæ¹⁵

Elysios non sola petes, mea Livia, campos :
tecum una veniet mæstus uterque parens.
Nam de me ut fatear, sine te nec vivere possum
nec volo ; quid sine me, te sine mater agat ?

8. Dissidium coniugale¹⁶

Ait maritus, uxor obstrepens negat ;
negat maritus, uxor obstrepens ait.
Tanti tumultus causa quæ sit quæritis.
Esto modesta¹⁷ quælibet dum iunior ;
rara est maritum ferre quæ possit senem.

9. Ad generum¹⁸

Me gelidus Boreas, me mille incommoda vexant,
in patriam Venetis dum remeamus equis.
Hoc non ire, gener, peregre est, hoc ire perægre est :
corpore mens ægro tristis et ægra mihi est.

10. Ad Iulium filium¹⁹

Flagra, dabit, Iuli, mater tibi fraga petenti
(vicini interdum nominis error obest).

11. De sua molestia nocturna²⁰

Quam iuvat insomnem ludo traducere noctem,
quamvis nos cubitum senior hora vocet !
Est odio nocturna quies lectusque molestus,
plumaque non pluma est sed mihi pœna gravis !

12. Ad uxorem²¹

Et pinguem decet anserem necari
et Baccho madidam natate mensam,
rupis vinea læta quem propinquæ
mollis protulit æmulum Caleno²² :
curis omnibus interim sepultis
quo diræ luis horridique Martis,
felici genio vacemus, uxor,
Martinalibus, optimo dierum²³.

13. (Incommoda belli)²⁴

Atroci occipitis necor ulcere, letifer anthrax

in sanie cerebrum diluit omne putrem.
Humores peperere malos incommoda belli,
pervigiles curæ continuusque timor.
Quid mirer læsam per tanta pericula partem ?
Mirandum e toto corpore siqua valet !

14. Ad Iulium filium²⁵

Paulatim morior, videar cum vivere, Iuli :
ambiguus status est inter utrumque mihi.
Quotidie exspecto quid cras ferat ; ultima finis
exoptata malis iam procul esse nequit.
Nil reliquum, tenuis maciem nisi spiritus ægram
linquat et e putri corpore liber eat.
Quid cessas, mors lenta, graves finire dolores ?
In te spes tandem sola relicta mihi est. ❧

1. Cfr. A. Serena, *La cultura umanistica a Treviso nel secolo decimoquinto*, *Miscellanea di storia veneta*, III, 3 (Venetiis, 1912) ; M. Pastore Stocchi, 'La cultura umanistica', in E. Brunetta (ed.), *Storia di Treviso*, 3 : *L'età moderna* (Venetiis, 1992), pp. 137-157 ; A. Piovesan, *De aliquot poetis Latinis XVIII-XIX sæculi*, I (Opitergii, 1966) ; Id., 'Ubaldo Bregolini (1722-1807)', *Humanistica Lovaniensia*, 18 (1969), 137-164.

2. Cfr. *Antenor. Hieronymi Bononii poetæ Tarvisini, iam centum septemque annis defuncti, elegidion. Ex eius Promiscuorum libro nono a Bartholomæo Burchelato physico illius (ratione conjugis) pronepote in lucem editum* (Venetiis, 1625) (accessere alia Bononii poemata quinque) ; *Mediolanum sive Itinerarium. Hieronymi Bononii senioris, poetæ Tarvisini, carmen epicum. Emitte Bartholomæo Burchelato physico illiusmet uxorio pronepote (...)* (Tarvisii, 1626). De Burchelato (1548-1632) egerunt C. De Michelis, 'Burchelati, Bartolomeo', in *Dizionario biografico degli Italiani*, 15 (Romæ, 1972), pp. 399-401 ; F. Martignago, 'Il volgare a Treviso tra Umanesimo e Rinascimento', in E. Brunetta (ed.), *Storia di Treviso*, 3 : *L'età moderna* (Venetiis, 1992), pp. 159-193. Cetera ante annum 1969 divulgata poemata attulerunt A. Serena, *o.c.*, et R. Ceserani, 'Bogni, Girolamo', in *Dizionario biografico degli Italiani*, 11 (Romæ, 1969), pp. 327-331. Eis autem quæ illi viri attulerunt addas *Sub rupe Montelli. Nuovi florilegi nervesani da gli inediti "Promiscuorum libri" e da "Candida" di Gerolamo da Bologna. Edizione critica di su i codici padovani e versione metrica* di Oreste Battistella (Tarvisii, 1912) ; *Di Gerolamo da Bologna Le laudi di Nervesa ora per la prima volta edite di su gli autografi e volgarizzate* da Oreste Battistella (Florentiæ, 1919) ; C.M. Piastra, 'De Hieronymo Bononio Tarvisino deque eiusdem Sapphico ad Deiparam Virginem carmine in lucem non edito', *Latinitas*, 9 (1961), 210-216 ; cfr. etiam P. de Nolhac, 'Les correspondants d'Alde Manuce. Matériaux nouveaux d'histoire littéraire (1483-1514)', *Studi e documenti di storia e diritto*, 8 (1887), 247-299 et 9 (1888), 203-248 (pp. 281-2 num. 29 : agitur de epistula

- quam ad Aldum Manutium dedit Bononius Id. Mart. 1503 : vide etiam E. Pastorello, *L'epistolario manuziano. Inventario cronologico-analitico 1483-1597*, Biblioteca di bibliografia italiana, 30 (Florentiae, 1957), p. 27, num. 97).
3. Cfr. *Hieronimi Bononii Candida libri tres*. Edizione critica a cura di Caterina Griffante, Memorie (della) Classe di scienze morali, lettere ed arti (dell') Istituto Veneto di scienze, lettere ed arti, 46 (Venetiis, 1993) ; cfr. etiam G. Tournoy-Thoen, 'Zwei unveröffentlichte Gedichte an Erasmus aus Girolamo Bolognino *Promiscuorum libri*', *Humanistica Lovaniensia*, 19 (1970), 235-239 ; D.E. Rhodes, *La stampa a Treviso nel sec. XV* (Tarvisii, 1983) ; G.C. Sciolla, 'Due epigrammi inediti di Girolamo Bolognino da Treviso per G. Bellini', *Arte veneta*, 44 (1993), 62-64 ; M. Pecoraro, 'Contributi biografici ed accenni letterari in due testamenti inediti di Girolamo da Bologna', in M. Pecoraro (ed.), *Studi in onore di Vittorio Zaccaria in occasione del settantesimo compleanno*, Quaderni dell'Istituto di Filologia e Letteratura Italiana, 5 (Mediolani, 1987), pp. 169-188 (cui commentationi nonnulla poemata intersperguntur Bononii Latina).
4. Cfr. *Hieronimi Bononii Tarvisini Antiquarii libri duo*. Edizione critica a cura di F. d'Alessi, Memorie (della) Classe di scienze morali, lettere ed arti (dell') Istituto Veneto di scienze, lettere ed arti, 54 (Venetiis, 1995) ; cfr. etiam F. D'Alessi, *La Metrica ad Iulium filium di Girolamo Bolognino* (dissertatio inedita) (Venetiis, in studiorum universitate, 1984) ; Id., 'La questione dei due Seneca in epoca umanistica e il "Sermo symposicus" di Girolamo Bolognino', *Quaderni veneti*, 4 (1987), 47-86.
5. De Augurell(i) vide quae scripserunt i.a. A. Serena, *Cultura umanistica*, o.c., pp. 181-200 ; R. Weiss, 'Augurelli, Giovanni Aurelio', in *Dizionario biografico degli Italiani*, 4 (Romae, 1962), pp. 578-581 ; Z. von Martels, 'The Final Lines of Giovanni Aurelio Augurello's *Chrysopæia* (1515) and Other Mysteries', in *Poets and Teachers : Latin Didactic Poetry and the Didactic Authority of the Latin Poet from the Renaissance to the Present* (...). Edited by Y. Haskell and Ph. Hardie, Kleos, 4 (Barii, 1999), pp. 57-75.
6. Cfr. *Corpus inscriptionum Latinarum*, v, 1 : *Inscriptiones Galliae Cisalpinae Latinae* (...), ed. Th. Mommsen (Berolini, 1872), p. 201 et saepius (haec ille p. 201 de Tarvisinis inscriptionibus : « Primus data opera eius oppidi titulos et in domo sua congescit et in libros quos scriptos reliquit, syllogam inscriptionum et antiquarium rettulit Hieronymus Bononius Tarvisanus (1454-1517) auctor praestantissimus, cuius exempla optimis adnumeranda sunt ») ; cfr. etiam *Storia della cultura veneta*, 3 : *Dal primo Quattrocento al Concilio di Trento*, a cura di G. Arnaldi e M. Pastore Stocchi, 3 voll. (Vicentiae, 1980-1981), passim.
7. Cfr. P.O. Kristeller, *Iter Italicum. A Finding List of Uncatalogued or Incompletely Catalogued Humanistic Manuscripts of the Renaissance in Italian and Other Libraries*, 7 voll. (Lugduni, etc., 1965-1997), passim.
8. E codice Tarvisino qui in bibliotheca publica servatur numero insignitus 582/1, p. 122. Metrum : disticha elegiaca.
9. Legitur hoc epigramma (e *Promiscuorum* septimo ni fallor libro excerptum) in eadem codicis, quem supra attulimus, pagina ; praeterea invenitur in codice 43 (olim II/36), fol. 48r, bibliothecae capitularis Tarvisinae quem aut ipse sua manu exaravit poeta aut unus e cognatis. Quoniam liber *Promiscuorum* septimus anno circiter 1503 compositus esse dicitur, agitur fortasse de Octavio Restituto, poetae filiolo, qui illo ipso anno pridie Kalendas Quintiles natus est (cfr. num. 3) et M. Pecoraro, p. 178 in adnot. 25). Metrum : disticha elegiaca.
10. Hoc Catharinae uxoris poeticum nomen.
11. E codice quem diximus 582/1, p. 123. Metrum : hendecasyllabi Phalaeici. Filius Octavius Augustus anno 1500 natus et Kalendis Quintilibus anni 1502 mortuus est. Octavium autem Restitutum prid. Kal. Quint. anni 1503 in lucem editum esse diximus.
12. Ex eodem codice manu scripto, p. 535. Metrum : heroi.
13. Legitur in eodem libro, p. 543 necnon in eiusdem bibliothecae codice 962/1, f. 349v (e *Promiscuorum* libro decimo tertio (circa annum 1509 conscripto)). Metrum : disticha elegiaca.
14. E codice 962/1 bibliothecae urbanae quae est Tarvisii, f. 106r (e *Promiscuorum* libro quarto, anno circiter 1500 scripto). Metrum : disticha elegiaca. Iulius filius erat anno 1489 natus (cfr. Pecoraro, p. 175 in adnot. 15). Convaluit Iulius, qui a patre optime instructus atque institutus, poeta Latinus et ipse evasit.
15. Invenitur ibidem. Metrum : disticha elegiaca. Livia nata erat mense Ianuario anni 1488 ; admodum adulescens Francisco Biadene notario nupsit ; vitam autem in puerperio posuit exeunte anno 1506 ; qua occasione pater scripsit carmen *Promiscuorum* 66 libri X : Obitus Liviae filiae XI Kal. an. 1507 (cfr. M. Pecoraro, pp. 175 adn. 15 et 178 adn. 24).
16. Legitur ibidem, f. 186r (e *Promiscuorum* libro X qui ad annum spectat 1506). Metrum : trimetri iambici.
17. modesta : pudica *ante corr.*
18. Reperitur ibidem, f. 236v (e *Promiscuorum* libro quarto et decimo, qui ad annum 1510 fortasse refertur). Metrum : disticha elegiaca.
19. Excerpsimus e codice 43 (olim II/36) bibliothecae capitularis Tarvisinae, f. 45r (e *Promiscuorum* libro ni fallimur septimo). De Iulio filio cfr. quae scripsimus in adnot. 14. Metrum : distichum elegiacum.
20. E codice Cicogna 2665 musei Correr dicti quod est Venetiis ; folia eius codicis poetae ipsius fortassis manu scripti numeris carent. Hoc epigramma legitur in *Promiscuorum* libro XIII. Metrum : disticha elegiaca.
21. Offenditur ibidem. Carmen anno circiter 1509 vel 1511 scriptum, quo tempore bella eam territaverunt regionem. Metrum : hendecasyllabi Phalaeici.
22. Optima notae vino, quod veteres saepius laudantur.
23. Cfr. Catullus, 14, 15.
24. Legitur in codice m.s. 962/1 bibliothecae publicae Tarvisinae, f. 231r (e *Promiscuorum* libro XIII, quem vel anno 1509 vel potius 1511 conscriptum esse opinor). Metrum : disticha elegiaca.
25. Legitur ibidem, f. 344r ; margini ascriptus dies, mensis, annus : « Anno MDXVII, XVIII Augusti ». Hoc ergo elegidion (*Promiscuorum* libri XXI, qui et ultimus) aegrotas scripsit manu poeta non ita multis ante obitum diebus.

ORSA CORDIS

- ab Alexandro Ricio Latine edita -

ORSA DE SAPIENTIAE EXCELLENTIAE CORDE
SIVE ORSA DE SAPIENTIAE CORDE
A SINICO IN LATINVM VERTIT
CHRISTOPHORVS FERRARIVS
EMENDAVIT EDENDA CURAVIT
ANNOTATIONES ADDIDIT
ALEXANDER RICIVS

- FIGMENTVM PHILOLOGICVM -

Ab anno 1895 in Europa ferebatur editionem fuisse (utrum Asiatica an Europæa nescio) multilinguem *Orsorum Cordis* (Sanscritice *brdaya-sûtra* ; Sino-Iaponice *bannya-shingyô* seu *shingyô*) quæ harum scripturarum per totam Asiam vulgatissimarum versiones (Manjuicam scilicet Mongolicam Tibetam necnon Latinam) una præberet. Patet autem talem versionem Latinam numquam fuisse¹. Idcirco mihi non iniucundum visum est textum illum fabulosum rem efficere. Nulli plausibili auctori eam imputare potui quam Christophoro Ferrario (1580 ?-1652), qui delapsus catholicus bonzius factus annos quadraginta in Iaponia degit.

Simpliciores annotationes tantum appendimus ut verborum facies dumtaxat intellexeretur, nam libris pluribus opus esset ad singula penitus explicanda.

Nobis relatum est in urbe Meaco (Kyôto) Iaponem discipulum rerum Latinarum peritissimi professoris Aritonei Mizuno nuper Orsa Cordis in Latinum vertisse. Quam ineditam versionem eheu videre non licuit.

Cum Evigilaturus Catoblepas profundam Sapientiaæ excellentiam egisset, perspicue vidit vanos esse quinque acervos ac cunctas ærumnas periculaque transgressus est. Sarides, species a vano non differt, vanum a specie non differt ; species ipsa est vanitas, vanitas ipsa est species. Et perceptio, notio, confectio, conscientia quoque tales. Sarides, id vanum firmaminum signum non nascitur neque perit, non inquinatur nec mundatur, non augetur nec minuitur. Idcirco medio in vano abest species, ab sunt perceptio, notio, confectio, conscientia ; ab sunt oculi, aures, nasus, lingua, corpus, mens ; ab sunt species, vox, odor, sapor, tactus, firmamina.

Abest oculorum plaga deinceps abest conscientiaæ plaga.
Abest ignorantia, deinceps abest ignorantiaæ exhaustio, deinceps absunt senescentia morsque, abest etiam senescentiaæ mortisque exhaustio.
Absunt ærumna, coniunctio, deletio, via.
Abest sapientia, abest etiam adeptio.
Propter adeptionis absentiam, evigilaturis sapientiaæ excellentiaæ nisis corde absunt obstacula.
Eo quod absunt obstacula, abest pavor ; a cunctis somniosis notionibus procul exempti exstinctionem perficiunt.
Tritemporales Evigilati Sapientiaæ excellentiaæ nisi eximiam rectam æquam evigationem adipiscuntur. Idcirco scitur sapientiaæ excellentiam valde divinum esse carmen, valde clarum esse carmen, supremum esse carmen, inæquiperabile esse carmen, valens cunctas ærumnas amovere.
Eo quod alethinum est neque inane, effetur sapientiaæ excellentiaæ carmen, quod carmen sic effatur :
Gêthei gêtbei paragêthei parasyngêtbei Bodie esbeka
[Gressa gressa pergressa percongressa Bodi se vacua]



ANNOTATIONES

Orsa : (n.pl.) Sic vertitur vocabulum Sanscriticum *sûtra*, Sino-Iaponice *kyô*, quo significantur scripturæ sacræ Bodicæ religionis. Vox Sanscritica eiusdem originis est ac Latinum verbum *suere*, cuius participium *suta* (n.pl.) haud inepte *sûtra* redderet etymologice, nisi sensus nimis differret. Orsa sunt Evigilati ipsissima verba a discipulo Ananda relata, quapropter omnia eisdem verbis incipiunt : « Talia ego audivi ». *Orsa Cordis* vero his verbis carent, brevitatis, ut putatur, causa. Est tamen eorundem orsorum textus ornatior qui pristinum exordium restaurat. Versio brevior autem incomparabiliter divulgata est apud omnes Orientis Extremi gentes, Seres nempe, Coreanos, Iapones, Annamitas.

Evigilaturus : Sanscritice *bodhisattva*, Sino-Iaponice *bosatsu* ; stricto sensu is est qui proximo sæclo nascens Evigilationem perficiet, id est Evigilatus (*buddha*) fiet. In Vehiculi Maioris doctrinis autem Evigilaturus est qui indefinite evigilationem extinctionemque procrastinat ut totam operam ad animantes salvandos det, neque tamen exercitationes abiicit ad propriam Evigilationem adipiscendam ; iugiter in mundo tam aperte quam clanculo latebris salutaribus operatur. Aptius « Salvator » vocetur.

Catoblepas : Mira audacia hoc nomine vertit Ferrarius quem Indi Avalokiteçvara vocant, Iapones vero Kannon seu Kanzeon seu, sicut in his orsis patet, Kanjizai, id est « Dominus qui mundum despicit », « Contemplans autocrator », « Qui mundanas voces considerat ». *Catoblepas* Græce significat « qui deorsum spectat », « despiciens », quod aptius vertit Sanscriticum nomen. Vocabulum hoc Latine orygem seu dorcadem significat cuius caput propter graviora cornua semper deorsum pendet. « In Iaponia iam celebrata est Kannon 'hippocephala' dicta, id est caput præbens equinum. Nihil impedit quominus et dorcadis os præbeat », scribit Ferrarius in diario suo.

Ceterum anceps est illius Evigilaturi genus : cum Sanscritice certe masculinum sit, in Sina partim, deinde in Iaponia præcipue muliebre factum est. Sæpius Ferrarius nomen Iaponicum Kannon ceu « Canonica » vertit. In illius manuscriptis etiam « Mundispector » et « Locispector » inveniuntur.

Sapientiæ excellentia : Evigilaturi sex virtutibus maioribus se exercent quæ « excellentiæ » (Sanscritice *pâramitâ*) vocantur. Hæ sunt : 1) doni seu eleemosynæ excellentia ; 2) disciplinæ excellentia ; 3) patientiæ

excellentiæ ; 4) diligentiae excellentia ; 5) meditationis excellentia ; 6) sapientiæ excellentia.

Sapientiæ excellentia omnium gravissima est ; huic enim virtuti nisi evigilaturi opera sua salutaria in animantes gerunt. Quæ operandi facultas apte « latebra » dicitur, seu salutaris sollertia, nam evigilaturi seu salvatores animantes (præcipue homines) velut invitos inconsciosque salvant. Sapientia atque latebris constat bina via qua evigilaturi officium suum perficiunt.

Vanum : Nescio quo inflante spiritu Ferrarius hoc vocabulum elegerit ut vocem Sino-Iaponicam *kû* (Sanscritice *çûnya* seu *çûnyatâ*) verteret. Libenter hodierni *vacuum* id interpretantur, quod autem magis ad rem physicam quam ad moralem ontologicamque pertinet. Equidem pro hoc vocabulo « cassum » usurpare mallet. Heic Ferrarius (an conscius nescio) Bibliici loci « Vanitas vanitatum, et omnia vanitas » (Eccl., 1, 2) imaginem repercutit. Iudicent alii an nimis audaciter ambas doctrinas heic coniungat Lusitanus monachus.

Quinque acervi : Pristina Bodica doctrina docet omnia entia seu phænomena (*firmamina* ; vide infra) quæ mente percipiuntur elementis quinque constituta esse. Quinque sunt species, perceptio, notio, confectio, conscientia (vide infra).

Marginalia Ferrarii habemus : « Quod his quinque acervis definiuntur non animantes tantum sed etiam res inanimantes absurdum videatur : quomodo enim mensæ tabulæve esset perceptio vel conscientia ? At Bodica doctrina asseverat res tum animantes cum inanimantes (et homines) in se non esse sed quatenus percipiuntur : quinque acervi perceptionis gradus indicant a re visa ad rei conscientiam usque in videntis mente. Nihil de entibus affirmare possumus, nisi quod « ipso » seu « ipsitate » omnino careant, inde sententia « Vani sunt quinque acervi ».

Ærumna : Omnes humanas res ærumnosas esse docet Evigilatus ; immo ipsa animantium condicio est ærumna. Et felicitas voluptasque, quatenus diu non durant et absentia indigentiam frustrationemque pariunt, ærumnam pro fine habent. *Ærumnæ* etiam nascentia, senectus, morbus, mors. *Ærumna* prima est quattuor evidentiæ suæ veritatum, de quibus vide infra.

Sarides : Nomen proprium. Sariputra (Sanscritico nomine) est unus inter Evigilati discipulos, qui primus habetur sapientia. In his orsis, sicut in multis contingit, Evigilatus Saridi doctrinam suam explicat.

Species : Quinque acervorum prima est species. E Ferrarii adversariis patet illum sæpius sententiam mutavisse antequam hoc vocabulum elegit ad Sino-Iaponicum *shiki* (Sanscritice *rûpa*) vertendum. Primum videtur *materiam* id interpretatum esse, at hanc vocem reiecit quia, ut putatur, in Europa censent substantiam esse materiam, cum *rûpa* eminenter substantia careat. Ne oriretur error, Ferrarius voces *visibile* seu *visibilia*, *forma*, *figura* postea prætulit, nam *shiki* sensu pristino « color » significat (et vocabulum Sanscriticum *rûpa* eiusdem veriloquii est ac Latinum *rubrum*) at tandem constat illi omnium aptissimum visum esse hoc *species*, quod præcipue visionis obiectum significet : nulla heic substantia, sed mera manifestatio quæ operantibus perceptionis sensibus conscientiam suscitatur.

Species ipsa est vanitas, vanitas ipsa est species : quod etiam « species ipsa est vana, vanitas ipsa est speciosa » interpretatur. Absconsa hæc sententia cardo existit earum scriptarum quæ Sapientiæ excellentiam exponunt. Significare videtur res (seu phænomena), quas specie tantum percipere possumus, vanas esse, id est veritate cassas ; per se non sunt. At ipsa vanitas non potest non tamquam species manifestari. Non potest homo ultra speciem vanitatem quandam per se existentem quærere. Tum species cum vanitas bifrons est entitas quam soli percipiunt perfecti sapientes, qui sunt Evigilaturi.

Perceptio, notio, confectio, conscientia : quattuor acervi post speciem. Hi quattuor uno vocabulo « mens » continentur ; sic quinque acervi sæpius « species mensque » appellantur. *Confectiones*, sive potius *confectionæ*, ut alibi scribit Ferrarius, sunt mentis formationes quibus superædificatur conscientia.

Firmamen : Cum Ferrarius breviter Goæ, in urbe Indica, commoratus est, constat eum ibi linguæ Sanscriticæ satis operam dedisse ut intellegeret relegate esse linguas Indicas et Latinam. Quamobrem subtiliter percepit vocabulum Sanscriticum *dbarma* (quod Sino-Iaponice *bô* redditur, id est « lex ») eandem radicem habere atque vocem Latinam *firmum*. Indicum hoc vocabulum primum « sustinere » significat : *dbarma* ergo dicitur id quod sive humana gesta, sive universorum structuram sustentat : lex humana et lex cosmica. Pluraliter vero dictum id res, seu entia, seu mundana phænomena significat, quatenus ea sunt elementa quibus sustentatur mundus. Quamquam ipsi Mongolæ, exempli gratia, in hoc sensu vocabulo Græco *nom(os)* usi sunt, sibi a Sogdianis, mediantibus Turcis, tradito,

Ferrarius noster antiquissimum vocabulum Latinum « firmamen » usurpare maluit, quia nimirum ei facilius imponerentur multifarii sensus Sanscritici. « Firmamen » ergo tum Bodii seu Evigilati legem valet, cum universam legem quæ mundum amplectitur ; « firmamina » vero entia sunt quibus ipse mundus instructus est. Hanc relationem etymologicam inter *dbarma* et *firmamen* hodierni philologi confirmaverunt.

Signum : Id quod mente apprehenditur tamquam character distinctus. A signis oritur intellectio seu iudicium.

Abesse : Quo consilio Ferrarius sic verterit *mu* Sino-Iaponicum verbum « non esse » valens non liquet. Ut puto, ita voluit discrepantiam exprimere a mero negativo sensu, cum in ipso negativo sensu lateat altior affirmatio. Contingit interdum ut potius quam « non esse » *mu* valeat « ultra esse ». « Abesse », nostra quidem sententia, intellegendum est tamquam « ab-esse », id est aliter esse quam in mero esse, ab esse distare : « Hoc verbo non negatur ipsum esse, sed essendi pertinentia », ut obscure scribit Ferrarius in codicillis suis.

Oculi... mens : Heic habes sex sensuum instrumenta, id est organa sensoria. Constat Bodicam doctrinam sensoria sex ponere, cum nostrates quinque tantum agnoscant. Sensus sextus est mens, cuius obiecta sensoria sunt firmamina, id est res. Patet res solum existere quatenus mente percipiuntur, scilicet materiales non esse sed spirituales, ut sæpius scribit Ferrarius.

Species... firmamina : Obiecta sex organorum sensoriorum. Oculis est species sicut menti sunt firmamina. Nihil interest inter oculorum operationem qui rerum speciem adspiciunt et mentis operationem quæ firmamina seu entia apprehendit.

Plaga : Seu « limes », « provincia », id est sensuum obiectum.

Ignorantia... senescentia morsque : hæc sunt primum novissimumque membra dogmatis quod « causarum concatenationem » vocat doctrina Bodica. Duodecim gradibus oriuntur atque occidunt, ut deinceps oriuntur, animantes, cum quibus oriuntur et sensuum plagæ, quæ sunt entia. Mundanarum ergo rerum omnium, inclusis animantibus, causa prima existit ignorantia seu mentis caligo. Anceps est utrum hoc verbo expriment Bodici doctores meram moralem seu spiritualem

(psychologicam) hominum condicionem, an latissimo altissimoque sensu cosmicum quoddam fundamentum. Dubitatur an aliud sit quam mentale adminiculum ad meditationem adiuvandam. De Bodica concatenatione doctrinæ Cusanensi (« Docta ignorantia ») relata animadvertenda scripsit Ferrarius in codicillis suis.

Ærumna, coniunctio, deletio, via : Hæ sunt quattuor « evidentia » seu « veritates » sanctæ dictæ quæ Evigilati doctrinæ velut cardo sunt ; dicitur enim eam totam binis his dogmatibus, concatenatione scilicet et quattuor veritatibus, amplecti. Quadruplicem illam veritatem explicavit Evigilatus in Damarum Hortis prope ad urbem Benarem postquam Evigilationem adeptus erat. His quattuor exponitur rerum natura quoad ad animantium salutem pertinet ; neminem fallit eas simillimas esse methodi qua utitur ars medica Indica.

Adeptio : Aliquid impetrare seu assequi. Dupliciter id in Bodica doctrina intellegitur : minor nempe adeptio atque maior. Aut mundana firmamina adipiscitur, aut ultramundana firmamina, seu inconfectæ (quæ non conficiuntur) ; inconfectæ dici possunt evigilatio et extinctio. Heic vero uterque sensus negatur : evigilatur veræ sapientia nisi ipsam sapientia et sapientia assequenda notionem amittunt.

Exstinctio : In pristina Bodica doctrina spiritualium exercitationum finis erat Exstinctio (Sanscritice *nirvâna*, Sino-Iaponice *nehan*), quæ status est postquam exercitans (evigilaturus scilicet) omnia operum seu actorum suorum vestigia ita deleverat ut iam his non oneraretur. Iam liberatus est a nativitatibus rota (quæ locutio in Novo Testamento invenitur ; vide Iacobi Epistolam III, 6 : « Lingua constituitur in membris nostris, quæ maculat totum corpus, et inflamat totam rotam nativitatibus nostræ inflammata a gehenna. »), non morietur nec renascetur. Prima facie heic datur contradictio in terminis, cum hoc signum habeant evigilaturi quod extinctionem suam aliorum animantium conservandorum gratia procrastinant. De adeptionis evigilationis extinctionis subtilioribus significationibus multa dissertat Ferrarius in codicillis suis, quæ heic vel compendiose referre non possumus.

Tritemporales Evigilati : Tria tempora nimirum sunt præteritum, præsens, futurum. Antiquorum sepulcra titulus hic sæpe apud Latinos invenitur : « Non eram, fui, non sum : non curo ». Advertit Ferrarius Sinicas antiquiores litteras numquam temporum tripli-

cem divisionem attingere ante doctrinam Bodicam ab India traditam. Constat igitur hanc distinctionem Sanscriticæ grammaticæ verbis temporalibus religari, quæ viciniora sunt Græcæ Latinæque linguarum. Maioris Vehiculi sectatores asserunt esse in tribus temporalibus innumerabiles evigilatos. Ille Evigilatus qui in mundo nostro apparuit, nomine Sacamuni (quem interdum Ferrarius sollerter Saccam seu Saccam Ammonium nominat) unus tantum est inter plurimos Evigilatos qui non solum in hoc mundo, sed et in multis aliis orientur atque orti sunt.

Eximia recta æqua evigilatio : Nomen perfectæ evigilationis quam impetrant Maioris Vehiculi evigilaturi. Evigilatio illa plenam sapientiam et universarum rerum animantium cognitionem omnifariam præbet.

Carmen : Incantamentum seu carmen vertit Sanscriticum *mantra* (quod Latine aptius verbo novato *mentrum* redderetur) ; et in Iaponia carmina illa quæ vim fere magicam habere æstimantur lingua Sanscritica traduntur litterisque Indicis. Sino-Iaponice carmina *shingon* appellantur, id est « veridica » seu « authentica verba ».

Alethinus : hoc vocabulo Græco iam ab auctoribus Latinis Christianis usurpato (vide Souther Lexicon) distinguit Ferrarius « verum » a « quod re est ». Alethinum est quod ad provinciam ultramundanorum in se existentium pertinet, secundum ipsum Ferrarium. Contrarium est « subditus ».

Gêthei, etc : Vertit Ferrarius carmen illud mysteriosum tam in Græcum quam in Latinum, Europæ binas linguas sacras. Tam parum significare videtur utraque versio quam Sanscritice, at sonora quidem existunt. ❧

1. De his vide *Literary Migrations : Traditional Chinese Fiction in Asia*, ed. Claudine Salmon, International Culture Publishing Corporation, Pechinii, 1987, p. 192, n. 21.

NAVIGATIO SANCTI BRENDANI (III)

- *historia mediævalis adaptata a Francisca Deraedt* -

Perambulantes autem illam insulam, invenerunt diversos greges ovium unius coloris, id est albi, ita ut non possent ultra videre terram præ multitudine ovium. Sanctus Brendanus fratres suos convocavit dixitque eis : « E grege sumite ea, quæ ad diem festum sunt necessaria. » Fratres ad gregem festinaverunt statimque sumpserunt ovem unam. Atque ea, per cornua alligata, sequebatur tamquam si esset domestica usque ad sanctum. Iterum vir Dei uni e fratribus : « Sume, inquit, e grege agnum immaculatum. » Qui frater festinavit et sic fecit ut sibi iniunctum erat.

Omnibus tandem paratis, ecce eis apparuit vir manu tenens sportam plenam panibus subcinericiis ceterisque rebus necessariis. Hæc omnia posuit ante Brendanum, se ter prostravit ad pedes sancti patris, interrogavitque : « Quomodo fit, o margarita Dei, ut pascaris de labore manuum mearum ? » Sanctus Brendanus eum erexit et osculatus est eum, dicens : « Fili, Dominus noster Iesus Christus proponit nobis locum, ubi celebrare possimus sanctam suam resurrectionem. » Quibus vir respondit : « Pater, hic celebrabitis istud sabbatum sanctum. Vigiliis vero et missas cras in illa insula, quam inde videtis, Deus vos celebrare vult. »

Quæ cum dixisset, incepit omnia necessaria præparare. Omnibus paratis et allatis ad navem, vir dixit : « Vestra navicula non potest amplius portare. Ego post octo dies cibum et potum ad vos mittam, qui vobis necessarius est usque ad Pentecosten. » Tum sanctus : « Unde tu scis ubi futuri simus post octo dies ? » Vir respondit : « Hac nocte eritis in illa insula quam videtis prope, et cras usque ad sextam horam. Postea navigabitis ad aliam insulam, quæ non longe abest ad occidentem versus, et quæ vocatur paradus avium. Ibi manebitis usque ad octavas¹ Pentecostes. » Interrogavit quoque sanctus quomodo possent oves esse tam magnæ. Erant enim maiores quam boves. Cui ille respondit : « Nemo in hac insula colligit earum lac, nec hiems dstringit eas, sed in pascuis semper commorantur die noctuque. Ideo maiores sunt hic quam in vestris regionibus. » Atque profecti sunt ad navem et cœperunt navigare, vicissim data benedictione.

IASCONIUS²

Cum appropinquarent ad aliam insulam, navis eorum constitit antequam ad portum pervenerunt. Sanctus Brendanus iussit fratres exire de nave in mare, et ita fecerunt. Navem funibus tenebant usque dum ad portum venirent. Erat autem illa insula petrosa sine ulla herba. Silva rara erat ibi, et in litore nihil arenæ

fuit. Porro dum fratres in orationibus et vigiliis foris pernoctant, vir Dei sedebat intus in nave. Sciebat enim qualis esset illa insula, sed hoc noluit eis indicare, ne perterrerentur.

Mane sacerdotibus præcepit ut singuli missas cantarent, et ita fecerunt. Cum sanctus et ipse missam cantasset in nave, fratres carnes crudas foras portaverunt, ut eas condirent sale, et etiam pisces ab alia insula adlatos. Super ignem caccabum posuerunt. Ignem foverunt ; caccabus paulatim fervebat. Tum insula cœpit moveri sicut unda. Fratres vero cucurrerunt ad navem, deprecantes patrociniū sancti patris. At ille singulos manu trahebat intus.

Relictis omnibus quæ in insula deposuerant, navigare cœperunt. Insula ferebatur in oceanum. Potuit autem ignis ardens videri per duo millia³.

Brendanus narravit quid hoc esset : « Fratres, admiramini quod fecit hæc insula ? » « Admiramur valde, aiunt, et ingens pavor nos cepit. » Sanctus eis respondit : « Filioli, nolite expavescere. Nam hac nocte Deus mihi revelavit hoc mysterium. Insula non est, ubi fuimus, sed piscis, primus omnium natantium in oceano. Semper vult suam caudam iungere capiti, sed non potest præ longitudine. Ei nomen est Iasconius. »



INSULA AVIUM

Cum navigassent iuxta insulam, ubi per triduum antea fuerant, et pervenissent ad eius extremitatem occidentalem, prope viderunt aliam insulam⁴ ab ea separatam freto non magno, herbosam et nemorosam plenamque floribus, et eam circumeuntes quæsiverunt portum. Sequentes litus meridianum, invenerunt rivulum, ibique navem ad terram appulerunt. De nave des-

centerunt atque sanctus Brendanus præcepit ut navem funibus quam longissime traherent in alveum fluminis. Erat autem illud flumen tam latum quam ipsa navis. Pater sedebat in nave, et ita fecerunt per unum milliarium, usque dum pervenerunt ad fontem eiusdem fluminis. Tum sanctus Brendanus : « Ecce, inquit, Dominus noster Iesus Christus nobis mansionem dedit. »

Erat autem super illum fontem arbor miræ latitudinis, non minus altitudinis, ita cooperta avibus candidissimis, ut folia et rami vix conspicerentur. Quæ cum vidisset, vir Dei cœpit cogitare et animo tractare, quidnam esset aut qua de causa tanta multitudo avium sic esset congregata. Lacrimas effundens, genibus nixus, Deum precatus est his verbis : « Deus, cognitor incognitorum et revelator absconditorum omnium, tu scis angustiam cordis mei. Precor tuam maiestatem ut mihi peccatori digneris per tuam magnam misericordiam revelare tuum secretum, quod modo præ oculis meis video. »

Cum hæc intra se dixisset atque resedisset, ecce una ex illis avibus advolat ad navem, in qua Brendanus sedebat. Alæ eius sonabant sicut tintinnabula. Avis sedit in summitate proræ, extendit alas ad lætitiæ manifestandam, et placido vultu conspexit sanctum patrem. Qui statim agnovit Deum accepisse precationem, et : « Si nuntius Dei es, ait, narra mihi unde veniant aves istæ, et cur sic sint congregatæ. »

Avis respondit : « Nos pertinemus ad ruinam antiqui hostis, sed non consensimus peccatis eius. Lapsu illius eiusque satellitum contigit et nostra ruina. Deus autem noster iustus est et verax. Nos in hunc locum misit. Pœnas non sustinemus. Hic præsentiam Dei possumus videre. Nos tantum alienavit a consortio aliorum, qui steterunt. Vagamur per diversas partes æris et firmamenti et terrarum, sicut alii spiritus. Sed diebus sanctis et dominicis talia corpora accipimus, qualia nunc vides, atque hic commoramur laudamusque nostrum creatorem. Tu autem cum tuis fratribus iam unum annum es in itinere. Adhuc restant sex anni. Ubi hodie celebrasti Pascham, ibi eam omni anno celebrabis, et postea invenies id quod tibi est cordi, id est terram repositionis sanctorum. » Quibus dictis avis avolavit ad alias.

Appropinquante vespertina hora, cœperunt omnes aves quasi una voce cantare : « Te decet hymnus, Deus, in Syon, et tibi reddetur votum in Jerusalem. »⁵ Et hunc versiculum reciprocabant per integram horam, et Brendano et eis qui cum eo erant videbatur hæc modulatio suavissima. (...)

Sanctus Brendanus mansit in eodem loco usque ad octavas Pentecostes ; nam avium cantu refocillabatur. (...)

Denique fratres cœperunt extendere vela et navigare in oceanum, et aves una voce cantabant : « Exaudi nos, Deus, salutaris noster, spes omnium finium terræ et in mari longe. »⁶

INSULA EXEMPLARIS MONASTERII

Igitur sanctus pater cum sua familia per oceani æquora huc atque illuc agitabatur per tres menses.

Quodam vero die eis apparuit insula, sed cum ad litus appropinquarent ventus eos traxit a portu. Et ita per quadraginta dies insulam circumnavigabant, nec poterant portum invenire. Vires autem eorum præ nimia lassitudine pæne deficiebant. Post triduum orationibus et abstinentiæ dicatum, eis tandem apparuit portus angustus, uni navi tantum patens, et ibidem duo fontes, alter turbidus, alter clarus. Fratres iam festinabant cum vasculis ad aquam hauriendam. « Filioli, inquit sanctus, nolite agere sine licentia seniorum qui in hac insula commorantur. Nam vobis spontanee tribuent has aquas, quas furtim bibere vultis. »

Tum occurrit eis senex eximiæ gravitatis, capillis niveis et facie clarus, qui se ter prostravit antequam virum Dei oscularetur. Dein ille vir, tenens manum sancti patris, eum duxit ad monasterium. Brendanus autem cum fratribus suis ante monasterii portam stetit interrogavitque senem : « Cuius est hoc monasterium, aut quis ei præest, vel unde sunt qui hic commorantur ? » Itaque sanctus pater variis sermonibus interrogabat senem, nec ullum responsum ab eo poterat accipere, sed senex incredibili mansuetudine manu silentium significabat. ❧

1. C. du Fresne Sieur du Cange, *Glossarium mediæ et infimæ Latinitatis*, Parisiis, 1883, impressio anastatica Arnaldo Forni Editore, 1981, VI, p. 28 : octava, dies octavus a festo dominico, aut sancti alicuius, quo tota sollempnitas clauditur.

2. Hæc fortasse est pars totius narrationis notissima. Ceterum talis casus, quo homines balænam habent pro insula, videtur in variis litterarum generibus esse satis communis.

3. E. Forcellini, *Totius Latinitatis Lexicon*, quarta editio aucta et emendata a V. De-Vit, Prati, 1858, IV, p. 124 : milliarium, ii, n. : 8) videtur et ipsum spatium *milliarium* dici posse.

4. Videtur esse una ex insulis desertis quæ sunt prope Hiberniam. Ibi solum audiuntur aves, quarum clamores similes videntur humanæ voci. Quæ aves in Hibernicis fabulis dicuntur esse animæ nautarum, hic autem habentur pro angelis Luciferi deiectis.

5. Ps. 65, 2.

6. Ps. 65, 7.

NVNTII

EX ITALIA

Discipuli Florentini sedem interretialem creaverunt totam Latinam !

Discipuli tertiæ classis Lycei scientifici urbis Florentiæ cum magistro statuerunt Latinam sedem interretialem condere, cuius patronus est notissimus Asterix. Vobis valde commendamus hanc sedem, in qua in animo habent et antiqua et recentissima Latine tractare : bellum Gallicum, vocabula informatica, vetera proverbia, recentissimi nuntii, ludi, hæc omnia laute ostenduntur, iocose seriove tractantur, emendate scribuntur. Valde admiramur, et suademus ut alii discipuli fructiferum cum eis instituunt commercium epistulare.

<http://digilander.libero.it/liceosalfirenze>

EX IAPONIA

Amicus noster Alexander Ricius, rerum orientaliū peritus, qui propter munus academicum sæpe versatur in Iaponia, ad nos de Latinitate illic culta nuntios nuper misit hos. In Iaponia in publicum edi solet periodicum cui titulus est *Gengo* (i.e. lingua seu sermo) ; cuius, cum non solum ad linguistas pertineat, sed ad omnes qui litteras colunt, singulis mensibus divenduntur complura milia exemplariorum. Fasciculus autem præteriti mensis Septembris (vol. 31, n. 10) totus dicatus est linguæ Latinæ. Pagine fere nonaginta, commentationibus undecim tractantur radices cultus Europæi linguæque Latinæ momentum in Europa etiam hodierna. Præter minores symbolas de re coquinaria linguave iuridica, insunt nonnullæ maioris momenti : professor Chino Eiichi « Cur homines linguæ Latinæ faveant » investigat, professor Kato Masahiko « De Europa hodierna et cultura Latina », professor Itsumi Kiichiro « Cur lingua Latina unica sit ». Qui professor Itsumi etiam conscripsit methodum linguæ Latinæ discendæ (amicus noster eam ipse vidit : facilis est, ait, et lepida et iucunda), methodum procul dubio attractivam, cum vendita sint exemplariorum... decem milia, obstupentibus et auctore et domo editoria. Præterea libellus Capellani de sermone hodierno abhinc nonnullos annos in Iaponicum versus est ; quæ versio ter nunc typis mandata est. Exstat et lexicon Iaponico-Latinum, cuius editio altera satisque aucta nuper in publicum proposita est.

E CROATIA

Solis die 12 m. Ianuarii in quandam tabernam Zagradiensem primum convenerunt sex sodales ad circulum Latinum constituendum. Plures re vera sunt, circiter triginta, sed multi mala tempestate impediti sunt ne hanc primam sessionem participarent.

Notandum est illos sex præsentis omnes esse magistros linguæ Latinæ, qui inter sessionem præsertim disputaverunt de methodis et libris idoneis ad linguam Latinam docendam et de linguæ Latinæ usu internationali restituendo. Facere non possumus, quin comparemus horum Croatorum studium cum defectio- ne moderatorum consociationis c.n. Euroclassica, qui omnia tractant... Anglice.

IN MEMORIAM



Anno 1985
inter Ferias Latinas :
P. Basilius Hypeau et
Gaius Licoppe.

Nobis nuntiatum est Patrem Basilium Hypeau, ordinis sancti Benedicti, die 13 m. Ianuarii a. 2003 vita functum esse. Qui vir fuit inter participes primi « Viventis linguæ Latinæ causa Conventus universi » Avennionis anno 1956 habiti, nec ab eo tempore desiit Latinitati Vivæ favere. Multas commentationes divulgavit in periodico *Vita Latina*. Clementem Desessard scienter adiuvit in methodo Assimil, cui titulus est *Lingua Latina sine molestia*, elaboranda. Fuit etiam egregius pædagogus, qui curabat ut discipuli longos et plurimos textus legerent. Ferias Latinas, quas Clemens Desessard in Provincia curabat, tamdiu participavit, quamdiu sivit valetudo. Eum ibi compluries conveni ; nescio quid in eo magis fuerit admirandum, scientia an modestia. Sit ei terra levis. G.L.



In hoc fasciculo !



De Latino hymno Europæo [G. Licoppe] p. 1
Res argentariæ, quales Medio Ævo fuerint [G. Licoppe] p. 2
Inedita Hieronymi Bononii epigrammata [Th. Sacré] p. 6
Orsa Cordis [A. Ricius] p. 10
Navigatio Sancti Brendani (III) [F. Deraedt] p. 14
Orbis Latinus p. 16

LATINE LOQVI...

MELISSÆ NOVA SEDES INTERRETIALIS

<http://membres.lycos.fr/melissalatina>
<http://www.melissa.int.ms>

AMICITIA CATHOLICA PRO LATINITATE

vos invitat ad sessiones Parisiis participandas his diebus : 18 m. Ianuarii, 8 m. Martii, 26 m. Aprilis, 14 m. Iunii a. 2003 in Instituto Universitario Sancti Pii X, 21 rue du Cherche-Midi, hora 14. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Dominicum Viain : dominique.viain@wanadoo.fr

CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Conventiculum anno bis millesimo secundo a mensis Iulii die undevicesimo usque ad undetricesimum agabitur. Eo in primis proposito congregabuntur participes ut peritiam aliquam ex tempore et volubiliter Latine sermocinandi permultaque Latine exprimendi adipiscantur. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Professorem Terentium Tunberg, inscriptio electronica : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

habebitur mense Iunio anni 2003 in media Vasintonia Civitate (in America Septentrionali), moderantibus Stephano Berard, Terentio Tunberg et Iacobo Dobreff. Sessiones præparatoriæ : diebus 19 et 20 ; conventiculum : de die 21 usque ad diem 29. Quæ erit pulchra occasio et sermonis Latini exercendi et montium silvarumque lustrandarum. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem Stephanum Berard : sberard@wvc.edu

FERIÆ LATINÆ

Media in Provincia, in abbazia Sancti Michælis Ferigoletensis, loco amœnissimo et quietissimo, a die 23 ad diem 30 m. Iulii fient feriæ æstivæ inter quas lingua Latina sit sermo participum communis. ¶ Qui plura scire volunt scribant ad Dominicum Viain, 18, rue Saint Jacques, F-91410 Dourdon, vel Iohannem Claudium Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

Seminaria Societatis Latinæ sunt prima huius generis, quæ inde ab anno 1973 instituebantur. Moderatores sunt Dr P. C. Eichenseer et Doctrix S. Albert. ¶ Duo seminaria anno 2003 instituentur : Morsaci (Morschach) in Helvetia : 20-26 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbazia Maretiolensi : 6-12 m. Augusti. Qui plura scire volunt scribant ad Societatem Latinam, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@rz.uni-sb.de)

SEMINARIVM VINDOBONENSE

institutum a L.V.P.A. et Fundatione Melissa, in Austria fiet a die 4 in diem 11 m. Augusti a. 2003 in monasterio Sanctæ Crucis, non longe a Vindobona. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant sive ad Ingam Pessarra, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen (ipg@surfeu.de), sive ad Gaium Licoppe, avenue de Tervueren, 76, B-1040 Bruxelles (guy.licoppe@pophost.eunet.be)

SEPTIMANA AMCENEBVRGENSIS

cuius thema est « Latine loqui - Romane coquere » habebitur a die 27 m. Iulii ad diem 2 m. Augusti a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Thomam Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)

SOCIETAS INTERNATIONALIS STVDII NEOLATINIS PROVEHENDIS

duodecimum Conventum a die 3 ad diem 9 m. Augusti a. 2003 Bonnæ apud Germanos celebrabit. ¶ Qui plura scire cupiunt scribant ad Professorem M. Laureys, Universität Bonn, Seminar für lateinische Philologie des Mittelalters und der Neuzeit, Am Hof, 1e, D-53113 Bonn.

SYMPOSIUM LATINVM

Arimini instituetur ab Academia Scientiarum internationali Sanmarinensi a die 1 ad diem 5 m. Septembris a. 2003. ¶ Qui plura scire cupiunt acroasinve facere cupiant, scribant ad Veram Barandovská, Kleinenberger Weg, 16, D-33100 Paderborn (bbaral@hrz.uni-paderborn.de)